



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

XXI. Quod de facto excommunicatus, licet non de iure, de facto absolui  
poßit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

ANNO CHRISTI 1179. dum interposuerunt, non prætermittatis, quin eos ad abiiciendas concubinas, & recipiendas vxores suas & maritales affectu tractandas, per excommunicationis sententiam compellatis.

C A P. XXI.

*Idem Eboracensi archiepiscopo, & R. presbytero.*

Ad præsentiam nostram R. presbytero veniente, episcopo Tusculano & P. sanctæ Susannæ cardinali, tuam & ipsius causam commisimus audiendam: qui ob excommunicationem tuam, licet non esset excommunicatus de iure, de facto tamen fecerunt eum absolui. Quia vero quod a fratribus nostris noscitur in hac parte constitutum, nolumus aliqua ratione mutare: fraternitati vestræ, &c. quatenus prædictum presbyterum pro eo quod post excommunicationem contra appellationem factam diuina cantauit, nullo modo attentetis inquietare, sed ad eum statum omnino reducatis appellatione cessante, in quo erant tempore appellationis ad sedem apostolicam factæ.

C A P. XXII. *Idem Carnotensi episcopo.*

Ex literis venerabilis fratris nostri Bathoniensis episcopi, & dilecti filii nostri V Vellensis decani accepimus, quod cum causam, quæ inter Giclericum præsentium latorem, & abbatissam de Helenostoue, & H. clericum super quodam beneficio de ecclesia de VVestonensi suscepissent de mandato prædecessoris nostri I. felicis memoriae terminandam, de ipsa plenius cognoverint, sed pro decessu prædecessoris nostri eam reliquerunt, quamvis appellatione remota eis esset commissa, indecisam. Adiecit autem præfatus clericus, quod persona abbatissæ, vt sententiam impediret, & eum amplius pro sua voluntate grauaret, ad festum beati Petri proximo venturum, vocem appellationis emisit. Sed ipse ad festum inventionis sanctæ Crucis proximo venturum, terminum coarctauit: infra quem nuntius abbatissæ clericum suum præueniens, ad dilectos filios nostros abbatem sancti Albani, & priorem de Denustaple, & archidiaconum Cicestrensem super iam dicta causa literas nostræ commissionis impetravit. Quoniam igitur alienum est & ab ordine iuris, vt de dolo vel fraude quilibet com-